



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

Dispvatio II. De obiectio formali virtutis Pœnitentiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

DISPUTATIO II.

De obiecto formali virtutis
Pœnitentiæ.

SECTIO I. Referuntur aliorum sententia de obiecto formali Pœnitentiæ.

SECTIO II. Refertur alia sententia Recentiorum, quod obiectum formale pœnitentiæ sit bonum compensationis.

SECTIO III. Bonum compensationis posse terminare formaliter actum virtutis ubi, an ea virtus habere debeat affectum erga peccatum præteritum.

SECTIO IV. Obiectum formale virtutis Pœnitentiæ non esse bonum compensationis, sed aliquid aliud: ubi, an sit virtus Theologica?

Duplex obiectum: Materiale & Formale.

NON potest aliter declarari quiditas alicuius habitus, nisi investigando ipsius obiectum. Est autem duplex obiectum: alterum formale, alterum materiale: materiale dicimus, quod amamus, vel odio habemus: sicut pœnitentia odio, habet peccata: formale verò est motuum malitiæ, vel bonitatis specialis, quo impellimur ad amorem, vel odium: & quidem virtus: vel solum, vel potissimè specificatur ab obiecto formali: idèd prius dicemus de obiecto formali Pœnitentiæ, quæ questio gravis est, & acriter inter nostros Theologos controuersa.

SECTIO I.

Referuntur aliorum sententia de
obiecto formali Pœnitentiæ.

INnumera fuerunt apud Theologos de hac questione vel re, vel, ut aliis placet, solis vocibus ductæ sententiæ: quarum multæ iam tempore ipso consenserunt, & in oblivionem abierunt. Aliqui enim negarunt, Pœnitentiam habere speciale aliquod motuum, sed potius dicunt, dolere de singulis peccatis ob diuersa motua pro ipsorum peccatorum diuersitate, atque aded ad singulas virtutes pertinere dolere de peccato sibi. contrario: Pœnitentiam verò esse aggregatam ex omnibus illis virtutibus. Rem sanè incredibilem: neque enim posset moraliter loquendo, pœnitere breui tempore, ille, qui multa, & diuersa peccata perpetrasset: deberet quippe apprehendere prius singillatim motua specialia virtutum omnium, contra quas peccauerat. Fatendum ergo est, esse aliquam virtutem, (quæcumque illa sit) quæ ex motuo, aliquo vniuersali possit dolere de omnibus peccatis: licet non negemus, posse etiam singulas virtutes odio habere vitium oppositum ex proprio & peculiari suo motuo.

Pœnitentia non est aggregata ex omnibus virtutibus.

2. An obiectum formale Pœnitentiæ differt ab obiecto formali Charitatis.

Alij dicunt, obiectum formale pœnitentiæ non differre ab obiecto formali charitatis, volunt enim pœnitentiam esse charitatem ipsam quatenus dolet de offensa Dei, quia offensa Dei est. Et sanè non est dubium, quin ex motuo charitatis possimus perfectissimè pœnitere de omnibus peccatis, & in hoc sensu charitas pro vt elicitiua est illius actus, posset pœnitentia appellari. Sed aliquid vltius queritur in præfenti apud Theologos: an scilicet sit aliqua specialis virtus, habens speciale motuum diuersum à motuiis reliquarum, quæ possit pœnitentia appellari?

3.

Alij ergo volunt hanc virtutem non esse nisi iu-

stitiam vindicativam, cuius munus est infligere peccatam pro delicto, quod videtur potissimè facere pœnitens dum dolet de peccatis. Sed non est ad rem, quia in primis iustitia vindicativa propriè loquendo solum est in iudice, vel superiori infligente pœnam: non in subdito: illa autem virtus, quæ reus se voluntariè castigat, non est propriè iustitia vindicativa, sed alia virtus innominata. Deinde quid sit de hac illa virtus non est pœnitentia; de qua nunc agimus, quia punire se pro peccatis non est pœnitere propriè loquendo: posset enim aliquis velle assumere pœnam pro peccatis, & tamen non habere propositum non iterum peccandi, nec dolorem de præteritis: pœnitentia autem propria non potest sine illis esse.

His, & aliis lenioribus sententiis omissis, aliorum sententia est, motuum pœnitentiæ esse motuum iustitiæ strictè sumptæ, quæ in hominibus respectu Dei esse potest: ita Durand. in 4. dist. 14. q. 2. m. 5. 6. & 7. cuius fundamentum leuissimum est, quia scilicet, si pœnitentia esset virtus ab aliis distincta, sequeretur, eum, qui pluries peccat, & relucit à puncto, maiorem habere pœnitentiæ virtutem & per consequens studiosiorem esse, quàm eum, qui nunquam peccat. Hoc tamen argumentum etiam retorquetur bene à Valquez in præfenti, art. 3. dub. unico contra ipsam Durandam, quia si Pœnitentia non differt à iustitia, sequitur etiam eam qui frequentius peccat, & agit pœnitentiam, maiorem habere virtutem iustitiæ, quàm eum, qui nunquam peccat. Facile ergo responderetur, negando consequentiam de pœnitentia, infusa: quia hæc non augetur, nisi ad mensuram aliorum habituum infusorum, quos plus auget qui non peccat, scilicet exercitio plurium meritorum, quæ peccator quâvis est in peccato non habet: si verò sermo sit de pœnitentia acquisita, sine inconuenienti conceditur illatio: nam quid mirum, si is qui magis exercetur in pœnitentia, habeat maiorem pœnitentiæ vim?

Alij tamen aliis melioribus fundamentis defendunt pœnitentiam non differre à iustitia, inter quos P. Suarez, scilicet, supponunt, hominem habere virtutem iustitiæ, quæ eum obliget ad seruandum illæsum ius diuinum, non quidem omnino similem ei iustitiæ, quæ datur inter homines: non enim potest reddere æquale, sicut homini item respicit ius longè excellentius, & superius: nempe ius diuinum, propter quæ duo, dicit Suarez, distingui à virtute iustitiæ, quæ datur ad alios homines infra disp. 7. sect. 1. in fine: cæterum re ipsa concedit esse iustitiam propriè dictam in præfenti disp. 2. sect. 3. quia omne peccatum est propriè iniuria in Deum, ergo ad eandem iustitiam; quæ debemus seruare illæsum ius Dei; spectat etiam resarcire illud, quantum fieri possit, quando læsum est, sicut inter homines eadem virtus iustitiæ, quæ mouet ad non forandum mouet ad resarcendum, quando factum est furtum. Hanc eandem sententiam re ipsa sequitur P. Coninch. in præfenti disp. 1. dub. 3. & multi recentiores.

Nonnullis displicet hæc sententia, quia iustitia ex sua ratione formali tendit ad ponendam æqualitatem inter iniuriam, & restitutionem: pœnitentia autem non tendit ad æqualitatem sed essentialiter, & per se tendit ad satisfaciendum inæqualiter Deo enim pura creatura potest satisfacere æqualiter Deo pro peccato & pro iniuria; ergo pœnitentia differt omnino à virtute iustitiæ. Sed contra hoc videtur esse, in primis valde materiale esse quod possit satisfieri æqualiter pro debito, vel inæqualiter: si tamen obligationis radix, quoad alia omnia est similis: iustitia enim formaliter solum obligat ad ponendam æqualitatem.

æqualitatem, in quantum non potest: si potest totaliter, totalem, si verò solum partialiter, partialem: Si ergo pœnitentia ponit æqualitatem cum Deo quantum potest, satisfacit toti debito iustitiæ: repugnat enim deberi ex iustitia plusquam præstari possit. Si ergo debetur illa satisfactio inæqualis, illa erit æqualis, si non cum damno, bene tamen cum debito, & per consequens satisfacit æqualiter toti rigori iustitiæ: iustitia quippe non obligat cum rigore nisi ad satisfactionem impossibilem.

Adde, repugnantiam inuolui in illa satisfactione inæquali debita ad modum iustitiæ: nam omnis satisfactio orta ex debito iustitiæ, vel pro iniuria, tendit ad reparandum damnum illatum: nam si ad hoc non deleruit, erit recompensatio affectiva, sed non effectiva, & per consequens non debita ad modum iustitiæ. Peto ergo, an illa satisfactio inæqualis quam ponis, reparet saltem partialiter iniuriam per peccatum Deo illatam: si non reparat etiam partialiter, non debetur ex iustitia, vel alia simili virtute: sicut qui occidit hominem, quem non potest iterum vivificare, non tenetur ex iustitia aliquid pro eius anima offerre, vel alia obsequia ei præstare: quia ea omnia nec partialiter reparant damnum illatum: si verò dicas, eam satisfactionem partialiter reparare damnum iniuriæ: ergo iam satisfacit pro parte debiti, ergo ex perfecta iustitia: sicut qui debet centum, & dat decem, quæ sola habet, satisfacit ex iustitia pro parte debiti. Item, ergo per illam partialem satisfactionem nostram, tollitur condignè partialiter peccatum: non enim manet iam homini iniurius Deo, sicut antea, quod tamen dici non potest, omnia enim nostra obsequia sine liberali condonatione Dei non sufficerent, nec etiam partialiter ad extinguendam, vel minuendam maculam peccati commissi. Præterea impotentia satisfaciendi adequatè pro peccato mortali non est essentialis homini: potest enim per unionem hypostaticam humanitas elevari ad eam dignitatem, quâ possit pro suis peccatis præteritis superabundanter satisfacere.

Denique si ex hoc solum pœnitentia non esset iustitia, quia non satisfacit æqualiter: non restat ratio ad negandum, pœnitentiæ saltem de venialibus esse propriè iustitiam: cur enim pro illis non poterit homo iustus diuturnis obsequiis plenè satisfacere? Sanè incredibiliter, & sine fundamento negatur, ut probavi in materia de Incarnatione, vel ergo fatendum est cum P. Suarez, pœnitentiæ esse virtutem iustitiæ ad Deum, vel aliundè, quam ex inæqualitate satisfactionis reddenda est ratio, cur non sit?

P. Valquez ex aliis principiis negat pœnitentiæ esse iustitiam; quia nimirum nullam habemus virtutem iustitiæ erga Deum. Nobis alij viâ incedendum est consequenter ad ea, quæ dixi in dicta materia de Incarnatione, ubi asserui posse dari obligationem iustitiæ hominis erga Deum: negavi tamen ex peccato semper resultare debitum iustitiæ ad satisfactionem pro illo: quia nimirum illum eundem actum, quem debui facere, quando peccavi, non possum reddere cum illis iisdem circumstantiis quas tunc habuisset, loci, temporis, &c. alium verò similem, vel eundem cum aliis circumstantiis non teneor reddere ex iustitia; quia illum habet Deus in sua plena potestate, & facile potest illum à meo arbitrio extorquere innumeris viis, & auxiliis efficacibus quæ novit optimè, & potest quoties voluerit iis uti: non ergo teneor ex iustitia ad restitutionem pro iniuria facta; quia illud idem, quod abstuli, non possum reddere in individuo: in æquivalenti verò non teneor, quia id Deus habet in sua plena potestate:

ergo ad nullam satisfactionem teneor ex iustitia pro debito peccati.

Hac ratione supposita, quam in prædicto loco latius explicui, & confirmavi, facile erit inferre, pœnitentiæ non esse virtutem iustitiæ propriè dictæ: neque etiam virtutem illam, quam alij Recētiōres ponebant similem iustitiæ, & dissimilem solum quoad hoc quod non obliget ad satisfactionem æqualem, sed inæqualem pro iniuria. Vtrique ergo sententia impugnatur. Primo, quia licet possit fieri iniuria contra Deum; non autem omne peccatum habet rationem iniuriæ; quia in primis non semper exigit Deus nostra opera, & obsequia ex dominio proprietatis, quod habet, & quod necesse esset ad rationem iniuriæ, sed ex dominio iurisdictionis, ut legislator, & superior, ut in prædicto etiam loco latè probavi. Deinde multi sunt, qui invincibiliter ignorant, illam malitiam iniuriæ esse in omnibus peccatis: multi, qui illam probabiliter negant, cum quibus possum me prædictè conformare, & per consequens meum peccatum saltem per accidens non habet malitiam cōtra iustitiam, ergo pœnitentia non poterit dolere de illo peccato, nam in illo non invenitur ratio iniuriæ, quam pœnitentia per se formaliter detestatur: consequens autem est absurdum, quia pœnitentia est virtus universalis, quæ omnia peccata detestari potest, ergo motum formale ipsius non est ratio iniuriæ, sed aliquid aliud.

Secundò, ex eodem principio impugnatur, quia licet omne peccatum fuisset iniuria propriè dicta in Deum; non autem resultat ex illa debitum resarciendi, vel reparandi damnum ex iustitia, ut dixi, ergo pœnitentia non potest velle satisfactionem ex motivo iustitiæ; sicut qui occidit hominem iniuste; si tamen non potest neque in individuo, neque in æquivalenti reparare illud damnum; non potest ex motivo iustitiæ velle reparare, vel satisfacere pro illo. Cum ergo peccator nō possit reddere in individuo, quod abstulit; in æquivalenti verò non teneatur, quia illud in æquivalenti iam est in plena Dei potestate; non restat, quomodo ex motivo iustitiæ velit satisfacere pro iniuria.

Tertiò impugnatur, quia si pœnitentia oriretur ex debito iustitiæ obligaret procul dubio statim quam primum post commissum peccatum: nam iniustitia sicut obligat ad non lædendum ius alienum; obligat etiam quando læsum est, ad satisfaciendum, quantum fieri possit statim; ita ut quamdiu differatur satisfactio continetur peccatum, non solum habituale, sed novum actuale. Si ergo pœnitentia oritur ex debito reparandi ius diuini læsum; obligabit ad id faciendum statim post peccatum: consequens autem est falsum: non enim peccat homo de novo, eo quod post primum peccatum non statim contrahatur, vel agat pœnitentiam.

Respondet P. Suarez *disp. 15. sect. 5.* iustitiam nostri ad Deum non obligare ad restitutionem statim faciendam, quia dilatio illa non est Deo nociva. Hanc solutionem impugnaui in materia de Incarnatione; quia licet ablatio illa nō sit Deo nociva, obligat per te iustitia ad nō auferendum, & postquam ablatum est, ad restituendum aliquando Deo, ergo licet dilatio non sit nociva, obligabit eadem iustitia ad non differendam restitutionem, quia in humanis idem nocumentum quod sufficit, ut obligemur ad non lædendum ius alterius sufficit, ut obligemur ad non differendam restitutionem, vel satisfactionem: nam quamdiu differatur restitutio, manet Dominus cum nocumento illo, & læsione, quæcumque sit? Audi ego aliquem Doctorem concedentem, ex natura rei ita planè esse: sed tamen Deum in hac parte cessasse

16.

Non omne
peccatum ha-
bet rationem
iniuriæ.

12.

12.

Si pœnitentia
esset iustitia,
obligaret statim.

132

cessisse iuri suo propter hominum fragilitatem. Sed ubi facta est hæc cessio iuris? cum potius ex sacra Scriptura videatur oppositum indicari, ubi sæpe admonemur, ne differamus, & procrastinemus cōverti ad Deum: aut cur potius Deus ob nostram fragilitatem cessit iure suo in ordine ad pœnitentiam, & non ad primam læsionem, cum eadem fragilitas sit ad cadendum quæ est ad non resurgendum.

14. Aliam solutionem indicat P. Coninch. in presenti, disp. 3. n. 27. dicit enim; sæpe contingere, aliquem iniuriam facere sine aliquo alterius damno, ut si clam sine villo effectu conetur ipsius dampnum incendere: hoc autem ferè modo est iniuria, quæ committitur in Deum, quoties aliquis sine aliorum scādalo peccat. Quo casu, cum dilatio restitutionis non sit onerosa ei qui passus est iniuriam, non facile continet novam iniuriam, aut peccatum.

Hæc solutio facilius imprægnatur, quàm præcedens, ex exemplo ipso quo vitiorum: illam enim voluntatem incendij sine effectu sequuto certum est non fuisse iniuriam, nisi affectu, neque etiā indigere satisfactione: restitutionis enim obligatio non oritur ex affectu sine effectu consequuto, ut certum est apud Theologos: si ergo iniuria in Deum ita se habet, consequens est, non oriri ex iustitia debitum satisfaciendi non solum statim, sed nec etiam postea, ergo non fuit solum iniuria quoad affectum: ergo oritur etiam obligatio satisfaciendi statim, cum perseveret idem nocumentum, & possit auferri.

15. Denique quomodocumque explicetur illa sententia impugnari potest, quia motuum iustitiæ includit obligationem satisfaciendi pro læsione iuris alieni: pœnitentia autem non semper respicit satisfactionem, ad quam sit obligatio: nullum enim est præceptum obligans ad satisfaciendum in hac vita pro peccatis venialibus: & tamen pœnitentia potest, & de facto versatur circa illa: ergo non habet pro motivo obligationem satisfaciendi quod est obiectum iustitiæ. Aliud ergo motuum formale debemus assignare pœnitentiæ, quod non sit motuum iustitiæ.

SECTIO II.

Refertur alia sententia Recentiorum, quod obiectum formale pœnitentiæ sit bonum compensationis.

16. Multorum sententia nunc est, motuum formale pœnitentiæ esse bonum cōpensationis: itaque præcipuus actus huius virtutis est velle cōpensare, seu satisfacere Deo pro offensa, propter bonum, quod innenit in hoc, quod est compensare, seu satisfacere. Ex quo inferunt, non posse dari actum huius virtutis absolutum ante peccatum, quia qui non peccavit non potest velle efficaciter & absolute bonum compensationis pro peccato. Inferunt item, non elici ab hac virtute actum doloris, vel retractationis circa peccata præterita; quia ille actus non posset habere pro motivo formali bonum cōpensationis: peccata enim præterita non opponuntur compensationi futuræ, imò necessaria sunt ut postea sublequatur aliqua compensatio; quare si hæc virtus deberet de illis decernere; potius debuisset velle, quod fuisset, ut fuisset occasio ponendi compensationem, quam solum hæc virtus formaliter vult. Cæterum dicunt pœnitentiam ex effectu circa compensationem imperare retractationem, & dolorem eliciendum, non a se, sed ab aliis virtutibus, scilicet, à charitate, à spe, à religione, & ab aliis: eligit

enim pœnitentia illos actus doloris, & retractationis, ut media utilia, & necessaria ad suum finem consequendum, nempe ad compensationem, & satisfactionem pro peccatis: quod est proprium obiectum pœnitentiæ & à quo accipit insufficientem distinctionem, quia differat à reliquis virtutibus.

Hæc sententia sic explicata difficilis apparet: nam in primis inducit virtutem pœnitentiæ, quæ nunquam poeniteat, & doleat, de peccatis: quod sanè videtur contra omnium mentem, qui præcipuè pœnitentiæ actum cogitant esse poenitere, & dolere. Ita Magnus Gregor. homil. 34. in Euang. & lib. 9. registri epist. 9. Pœnitentia, (inquit) est peccata præterita plangere, & plangenda iterum non committere. Ecce actus ipse plangendi, seu dolendi; pœnitentia formaliter est. Hic. Hieron. in Psal. 118. circa illa verba, Exitus aquarum deduxerunt oculos meos, &c. Vera est, (inquit) pœnitentia ingit fletibus commissa diluere, & abluta non iterare. August. lib. 2. quaestiones ad Simplicianum, q. 2. Opus inquit, poenitendi est cum reperitur voluntas mutandi cum animi dolore, Ambros. serm. 1. Quadragesima relat. in c. 19 de pœnitentia d. 1. Pœnitentia vera est dolor cordis, & amaritudo anime pro malis, quæ quisque commisit. Ideo Augustinus relatus etiam in cap. Non sufficit, eadem dist. dicit, satisfaciendum Deo esse per pœnitentiæ dolorem, & clarius Magister in 4 d. 14. pœnitentiam sic definit, Pœnitentia est cursum, quæ mala commissa cum emendationis proposito plangimus, & odimus. Vides, ipsum actum doloris, & respicientiæ esse actum proprium pœnitentiæ: imò ideo à Laetantio, & aliis, pœnitentia fortasse respicientia appellatur; quia est, quæ respicimus, seu quæ aliter practicè sapimus odio habendo quod delectabatur. Ponere ergo debemus eam pœnitentiam, quæ odio habeat ex proprio motivo.

Præterea non satis intelligitur, quale sit illud motuum; circa quod pœnitentia non potest fieri ante commissum peccatum, ut ex eodem motivo vitet illud. Nam virtus iustitiæ post iniuriam factam vult etiā satisfactionem propter bonum compensationis, & tamē eadem iustitia ante factam iniuriam potest ex eodem motivo formali vitare illam: quia nimirum motuum formale est æqualitas cum aliis; quare iustitia vult impedire iniuriam, ne tollatur æqualitas, & facta iniuriā, ponit compensationem, ut ponatur etiā æqualitas, ergo eodem modo philosophandum videtur de pœnitentiā quæ post peccatum vult satisfactionem, & compensationem, quia nimirum per compensationem ponitur aliquo modo æqualitas inter Deum, & hominem; quare eadem virtus poterit etiā ante peccatum velle illud vitare, ne tollatur æqualitas, quæ est totum bonum, quod postea per compensationem intenditur: ad quid enim aliud bona est illa compensatio, nisi ad hoc quod Deus, quantum fieri possit, non habeat rationabilem rationem consequendi de homine, seu ut restituatur æqualitas vera inter Deum, & hominem? quod totum possumus etiam velle ante peccatum, non ut restituendum, sed ut conservandum: sicut eadem medicina prævenit, ne lædatur sanitas, & procurat etiā illam reparare, quando læsa est; & eadem amicitia curat non ledere amicum, & reconciliari etiam cum illo, postquam læsus est, quod idem invenias in aliis habitibus.

Dices, pœnitentiam non respicere suum motuum ita abstractè, & latè; sed potius esse in hoc similitudinem gratitudini, quæ non potest habere adū absolutum ante accepta beneficia; quia nimirum solum monetur à bonitate illa, quæ est in recompenlandis beneficiis acceptis, seu in satisfaciendo illi iuri, seu titulo moralis, quem ex beneficio habet beneficis, ut habeat aliam quam recompensationem, qui titulus non est ante beneficia.

SECTIO III.

Bonum compensationis posse terminare formaliter actum virtutis. Ubi, An ea virtus habere debeat affectum erga peccatum prateritum?

IN sententia illa Recentiorum aliquid placet, & aliquid displicet. Negare itaque non possumus quod bonum compensationis, ut tale est possit esse obiectum formale alicuius actus honesti per quem tale bonum intendatur propter se. Addo tamen, aliud esse obiectum formale poenitentiae, quae ponitur specialis virtus. De primo dicam in hac sectione; de secundo sectione sequenti.

Fateor itaque, bonum compensationis expetibile esse propter se per actum honestum: nam licet expetiti possit etiam propter aliud, scilicet, ad destruendum peccatum, seu ad refaciendam, & restituendam aequalitatem cum Deo, quae per peccatum fuerat laesa: potest tamen propter se etiam expeti. Ad quod deferre potest exemplum supra adductum de motu formali gratitudinis: imò etiam ex ipsa virtute iustitiae, & eius motivo argumentum desumi potest. Nam gratitudo respicit honestatem, quae appareat in componenda gratia accepta, ita ut ille, à quo bonum habui, habeat vicissim bonum à me: quod complementum amabile est, & expetibile propter se eodem autem modo amabile videtur, & laudabile, quod ille, qui habuit malum offensa à me, habeat ite à me bonum obsequii, & satisfactionis, quod est compensare malum irrogatum cum bono; ergo hoc etiam erit obiectum honeste expetibile & amabile.

Nec obstat differentia, quam adduximus inter gratitudinem pro beneficiis, & compensationem pro offensis: fatemur enim, in benefactore ante beneficia non praecedere ius aut titulum ad retributionem, sicut in offendendo etiam ante offensam praecedat ius ne offendatur, ut dicebamus: quod ius exigit etiam, ut satisfiat ei pro offensa, negari tamen non potest, post offensam generari novum, siue ius, siue titulum ad compensationem, ratione cuius, etiam si cesset titulus praecedens, erit honesta, & laudabilis compensatio, quae honestas poscit formaliter attendi ab aliquo actus virtutis.

Ad hoc explicandum desumi potest, ut dicebam argumentum ex ipsa iustitia; qui quidem respicit ius laesi, quod ius etiam ante laesionem dabatur, ut non lederetur, & post iniuriam idem ius exigit satisfactionem. Adhuc tamen post iniuriam oritur novus titulus sufficiens ad honestatem compensationis, etiam cessante priori iure. Quod quidem à posteriori constat manifeste: si enim ille, qui passus est iniuriam, siue in pecunia, siue in honore, condonet, & liberet debitorem ab obligatione restituendi, & satisfaciendi: cessat quidem necessitas, & obligatio iustitiae ad satisfaciendum; adhuc tamen honestum, & laudabile erit, si velit, qui laesi, satisfacere, seu aliquid donare, vel honorare pro re, vel honore iniuste ablato. Honestum enim est, & laudabile, quod ille, qui a re, vel tua causa passus est damnum, à te etiam bonum consequatur: quae honestas, & quod motum non erat ante iniuriam, sed ex damno accepto oritur titulus novus ad honestandam actionem, qui velis illum bonis, vel honoribus augere. Vides ibi distinctum motum iustitiae ab hoc alio motivo: illud enim fundatur solum in iure stricto, quod habebat, & habet laesus; atque ideo si cedat, aut condonet, non

21.

Compensatio
nis bonum est
per se expetibile.

22.

23.

10.

est necessaria satisfactio ad intentum iustitiae: hoc verò alterum oritur de nouo ex damno accepto, & perseverat quantumcumque læsus condonet & cedat, necessaria est exhibitio obsequij ad finem huius virtutis, sicut titulus benefactoris ad gratitudinem nascitur ex beneficio; & perseverat, quantumque benefactor renunciet, & condonet: semper enim manet honestum, & laudabile gratiam referre illi, à quo gratiam accepisti, imò necessarium ad intentum gratitudinis.

24. Similiter ergo in offendente possumus considerare duplicem titulum ad satisfaciendum pro offensa. Prior oritur ex iure stricto, vel lato, quod habebat læsus ante offensam, ne offenderetur, idem enim ius exigat satisfactionem post offensam: tendit enim solum ad æqualitatem moralem conservandam; hoc est: ut non possit vnus iustam, & rationabilem querelam aduersus alium habere. Vnde hoc motium, & hic titulus si offensus condonet, & remittat, non reddit necessariam compensationem ad intentum suum; nam eo ipso posita est æqualitas moralis, & qui offendit, non est, quod amplius tendat necessariò ad placandum offensum, cui iam nihil debet. Posterior verò titulus nascitur ex ipsa offensa, quæ eo ipso, quod posita sit, reddit honestam, & laudabilem exhibitionem obsequij, & compensationem aliquam, quia honestum, & laudabile est procurare, ut qui à te malum accepit, accipiat bona: quæ honestas ante offensam haberi non poterat; sicut nec honestas gratitudinis ante beneficii acceptum: & posita etiam condonatione offensi, adhuc est necessaria exhibitio obsequij ad intentum, quod erat, ut qui à te habuit mala, habeat etiam bona.

25. Ex hoc autem insurgit difficultas, quomodo possit esse motium honestum illud, cuius honestas includit peccatum, vel offensam præteritam. Si enim honestas hæc consistit in bonitate compensationis, ut compensatio est; ergo componitur intrinsecè ex iis, ex quibus componitur compensatio ut talis est: Compensatio autem ut compensatio includit offensam præteritam, & actionem præsentem, qua ponitur obsequium, ut is, qui à me malum accepit, accipiat bona, & obsequia: ergo virtus illa, quæ afficitur formaliter erga hanc pulchritudinem, & honestatem necesse est, quod afficiatur erga utramque partem illius complexi, altera enim sola pro conditione ab altera non est compensatio adæquatè, sed dimidia pars compensationis.

26. Explicatur difficultas, quia ille, qui vult bonum compensationis, ut tale bonum est, vel vult solum obsequium præsens, proptèr cõtra distinguitur à præteritione offensa; vel vult utrumque. Si secundum, ergo vult præteritionem offensa; nam velle complexum, ut complexum, est velle, quod existat, vel extiterit utraque pars: ergo vult utramque partem illius complexi. Si verò dicatur primum; ergo non vult bonum compensationis: nam obsequium præsens, ut contradicendum ab offensa præterita, non est compensatio: denominatur enim formaliter compensatio ex eo, quod ponatur post offensam: vnde si offensa non præcessisset, manere posset totum obsequium præsens absque eo quod esset compensatio pro offensa: ergo qui vult illud, propter honestatem compensationis, non vult solum obsequium præsens; sed proptèr denominatur compensatio ab offensa præterita: hoc autem non potest velle, nisi volendo offensam, ut præteritam: quam non potest honestè velle; ergo de primo ad ultimum compensationis bonum non est obiectum honestè expetibile.

27. Dices, eum, qui vult bonum compensationis, non velle, sed supponere peccatum præteritum, eoque supposito, velle obsequia ad compensandum: quare

ex illis, quæ compensatio ut compensatio includit, vnum solum vult, & alterum supponit iam positum? Sed contra, quia quidquid sit de illo, quod vult, difficultas manet de motu, propter quod vult: licet solum velit obsequia nondum posita: motium tamen volendi hæc obsequia, non sunt ipsa obsequia secundum se, sed honestas, & bonum compensationis: si enim peccatum non præcessisset, dari possent hæc eadè obsequia, sed non haberent honestatem compensationis: ergo motium formale aliquid aliud includit præter obsequia: cum ergo effectus voluntatis non solum feratur ad id, quod vult; sed multò magis ad motium formale, seu ad id, propter quod vult: impossibile enim est amare aliquid, quia bonum, & non amare etiam eius bonitatem, quæ est ratio amandi: consequens est, ut voluntas saltè in obliquo, feratur suo affectu, tãquam ad motium amandi ad cõpensationem ut compensatio est, cuius bonitas propria, ut vidimus, aliquid aliud includit præter obsequia volita, quod quidem nihil aliud potest esse, nisi peccatum præteritum.

Respondent aliqui primò, concedendo quod motium illius actus includat partialiter peccatum præteritum propter argumentum factum: negant tamen, quod voluntas illud amet etiam partialiter: neque enim omne, quod mouet ad amorem amatur: nam promissio, seu obligatio voti mouet ad volendum exequi, quod promisi, & tamen promissio, vel obligatio non amatur. Sic ergo peccatum præteritum mouet ad volendum obsequium præsens, quamvis ipsum peccatum nullo modo ametur, sed odio habeatur.

Hæc responsio faciliè impugnat ex dictis, nam licet aliquid possit mouere ad amorem alterius obiecti quasi intrinsecè, absque eo quod ametur: non tamen potest mouere ut motium intrinsecum, seu ut bonitas ipsa, quæ obiectum reddit formaliter bonum, & amabile, quin ipsa bonitas ametur: nam obiectum voluntatis non est bonum utcumque, aut materialiter; sed bonum formaliter ut bonum: ergo bonitas ipsa terminat formalissimè affectum, & amorem. Sicut actus etiam odij non potest terminari ad malum, quin terminetur etiam ad malitiam, & eam odio habeamus: ergo actus, quo volumus compensationem propter bonum compensationis, debet respicere bonitatem illam, non solum ut motium, sed ut id, quod formaliter amatur: atque ideo debet terminari partialiter ad peccatum præteritum, quod partialiter componit compensationem, quatenus compensatio est.

Nec obstat exemplum voti, & obligationis: nam si ex illis etiam constituitur intrinsecè honestas, & bonitas executionis; eadem erit de illis difficultas, argumentum enim hoc commune est ad multas materias, ut postea dicam. Si verò bonitas non componitur ex illis intrinsecè, non erunt exempla ad rem nostram, in qua supponunt bonitatem constitui partialiter ex peccato præterito.

Ideo respondent secundò, concedendo voluntatem amare compensationem secundum totum, quod includit: negant tamen, quod bonitas, vel honestas compensationis debeat intrinsecè includere peccatum: satis enim est, quod illud connotet extrinsecè tanquam obiectum: intrinsecè verò includat conscientiam peccati præteriti; quæ simul cum obsequio præstito constituit adæquatè compensationem in ratione compensationis, cuius honestas consistit in exhibitione obsequij pro peccato in conscientia existente.

Hæc etiam responsio non satisfacit: quia licet conscientia peccati præteriti compleat aliquam bonitatem proxima cõpensationis; negari tamen non potest,

potest, quin ante illam præcedat ex parte ipsius ob-
iecti bonitas radicalis, siue fundamentalis in ipsa
compensatione obiectiva, quæ bonitas possit hone-
stè amari: ideo enim posita conscientia peccati, bo-
num est compensare; quia ipsamet compensatio, seu
quod ille, qui habuit malum à me, habeat obse-
quium, ex se bonum est, & amabile: sicut licet noti-
tia indigentis, & paupertatis alicuius necessaria sit,
vt ego habeam actum misericordie, quo velim elee-
mosynam propter eius bonitatem: sed tamen elee-
mosyna ipsa, seu quod proximus indigens accipiat
aliquid à me, & subleuetur, ex se est bonum, &
amabile, & ad hoc requiritur notitia paupertatis, &
indigentis, vt possim velle illud bonum quod in ipso
obiecto inuenitur antecedenter ad meam scientiam.

Porro, in ipso obiecto pro vt contradistinguitur à
conscientia peccati apparere bonitatem compensa-
tionis amabilem, constat à posteriori. Primum, quia, si
aliquis ignorans se peccasse, exerceret se in actibus
piis elemosynæ, ieiunii, carnis macerationis, & si-
milibus; postea agnoscens, & aduertens sua peccata
præterita, poterit, gaudere, quod per illa obsequia
Deo exhibita, compensauerit aliquo modo, licet
ignorans, pro suis peccatis: tunc autem illa compen-
satio non habuit suam honestatem ex conscientia
peccati, quæ tunc non erat; ergo adhuc antecedenter
ad conscientiam peccati, apparere honestas aliqua
compensationis obiectivæ, de qua gaudeat honestè
homo in illo casu. Sicut potest etiam Petrus, qui he-
ri obsequium præstitit Iohanni, gaudere hodie de il-
lo obsequio, si hodie sciat, (id, quod antea, & heri
ignorabat) se nescientem magno aliquo beneficio
ante paucos dies fuisse ab eodem Iohanne affectum:
nam licet heri non operatus sit Petrus ex motu
gratitudinis, neque cum scientia beneficii; posuit ta-
men id, quod gratitudo amat, scilicet, beneficentem
aliquid boni vicissim accipere ab eo, qui beneficium
acceperat.

Secundò, hoc ipsum clarè probatur quia potest
aliquis, qui sibi peccati conscius non est, adhuc sub
conditione velle bonum compensationis, & ad hunc
finem ieiunare, dare elemosynam, & in aliis operi-
bus piis se exercere; vt si fortè peccauerit compen-
set pro offensis. Tunc autem non amat certè hone-
statem quam compensatio accipit à conscientia pec-
cati, cum eiusmodi conscientiam non habeat: ergo
inuenit aliquam aliam bonitatem compensationis,
quam saltem sub conditione possit amare: nam boni-
tatem, quæ defumitur ex conscientia peccati nec
etiam sub conditione potest tunc amare: non enim
dicit: *Volo ieiunare*, propter honestatem, quam ieiunium
habet, si habeo conscientiam peccati, quia
cum non habeat talem conscientiam, non potest
monere illa bonitas, quæ hic, & nunc est impossi-
bilis: sed vult ieiunare propter bonitatem, quam habet
hoc ieiunium, si fortè præcessit peccatum: ergo bo-
nitas, quæ non dependet à conscientia, sed ab ipso
peccato, est, quæ amatur sub conditione peccati.

Ex quibus à fortiori refellitur alia responsio: di-
cant enim tertio, motuum illius virtutis, non con-
stitui partialiter ex peccato præterito; neque etiam
esse solum obsequium secundum se; sed obsequium
vt voluit per talem actum voluntatis honestum,
qui supponat essentialiter cognitionem peccati: non
enim repugnat, quod ille actus componat partiali-
ter motuum formale sui ipsius, & quod velit obse-
quium propter bonitatem, quam habet vt voluit
per illum actum, qui supponit essentialiter pec-
catum præteritum. Hæc tamen responsio, vt dixi, pa-
tetur easdem difficultates, quas præcedens: nam si in
obiecto debemus inuenire aliquam bonitatem ante-
cedentem & independentem à conscientia peccati

P. Ioan. de Lugo de Penitentia.

quantò magis debet esse bonitas contra distincta ab
ipso actu voluntatis, quo amatur; & propter quam
amatur? Adde, inintelligibile, & inexplicabile sem-
per manere, quomodo possit voluntas affici ad obie-
ctum propter solam bonitatem, quam habet ex eo,
quod illo affectu ametur. Semper enim debet præ-
cedere ex parte obiecti aliquod fundamentum illius
amabilitatis, alioquin omnia obiecta essent eo modo
amabilia: illud autem fundamentum non est obse-
quium solum secundum se sed ex suppositione peccati;
ergo illud etiam est motuum: nam motuum est id,
quod ex parte obiecti monet voluntatem ad haben-
dum hunc actum amoris, ad quod non potest moveri
ex obiecto provt amato per ipsum amorem. De hoc
tamen dixi latè in tractat de actibus humanis.

Ad hanc ergo difficultatem aliter olim respondi
circa obiectum iustitiæ vindictivæ, in qua eadem
omnino est difficultas. Deus enim volens punire
peccatorem ex affectu iustitiæ vindictivæ habet
etiam pro obiecto formali honestatem punitionis:
quæ quidem bonitas ex parte obiecti non est sola
bonitas tormenti, quod Deus vult infligere, secun-
dum se; nam illud tormentum, si non præcessisset
peccatum, non haberet bonitatem punitionis: sed
includit tormentum, vt malum illius, qui peccavit,
atque adeo includere videtur peccatum ipsum præ-
teritum: illo enim non posito, materent omnia alia,
& non esset punitio; ergo Deus volens bonitatem il-
lius pænæ, provt est punitio, vult aliquo modo pec-
catum præteritum, quod est pars illius complexi
obiectivi; erga quod afficitur. Ad hoc ergo argumen-
tum, quod in aliis etiam multis materiis fieri potest,
dixi concedendum esse, quod Deus habeat aliquem af-
fectum erga totum illud complexum, atque ideo ad
omnes eius partes, non ad singulas seorsim, sed provt
coniunctæ cum aliis componunt illud totum, quod
est punitio, quod totum habet bonitatem, & amabi-
litatem specialem: pulchrum enim est, & amabile,
quod peccator puniatur, & propter illā pulchritudi-
nem, quæ Deo placet, vult ponere tormentum, quod
cum peccato iam posito, Deo non volente, facit, quod
resulter illud totum pulchrum, & honestum. Ex hoc
tamen non sequitur, quod Deus amet, vel gaudeat
simpliciter, & absolute de peccato præterito; sed
quod habeat etiam aliquem affectum, erga illud: non
enim est necesse, quod qui vult, vel amat aliquem
propter bonitatem specialem ipsius, eodem modo,
& eodem genere affectus amet bonitatem ipsam,
quæ mouet ad amorem. Exemplum habes in affectu
amicitiæ, quo amas Petrum, verbi gratia, quia sa-
piens est: nam licet eodem actu ames etiam boni-
tatem sapientiæ, quæ reddit Petrum bonum, &
amabilem: non habes tamen erga sapientiam Pe-
tri amorem, & affectum, qualem habes erga ipsum
Petrum: hunc enim amas affectu amicitie; sapien-
tiam autem non amas affectu amicitie: amas qui-
dem Petrum affectu amicitie propter bonitatem sa-
pientiæ, quam amas etiam non affectu amicitie;
sed alio affectu inferiori iuxta eius capacitatem, quia
sapientia non est capax, vt terminet affectum amici-
tiæ. Sic etiam Deus amat affectu amicitie hominem
iustum propter iustitiam, & gratiam, quam habet;
ipsam tamen gratiam non amat affectu amicitie, sed
alio inferiori, cuius gratia sit capax. Quamvis ergo
non possit affectus amoris terminari ad rem ama-
tam, quin simul terminetur ad bonitatem formalem,
quæ reddit obiectum amabile; non tamen oportet,
quod bonitas ametur eodem modo, quo obie-
ctum, seu res ipsa bona amatur: potest enim ali-
qua bonitas taliter reddere subiectum bonum, vt
reddatur amabile alia amabilitate superiori, quam
bonitas ipsa participare non possit: quia non habet

B illam

Peccatum ad
includatur in
obiecto volito
per iustitiam
vindictivam.

Voluntas non
amat eodem
modo bonita-
tem, ac ipsum
bonum.

illam, *ut quod*, sed *ut quo*. Sic etiam dignitas Regia reddit venerabilem Regem, & dignum cultu dulcie humanæ; & tamen ipsamet dignitas non est venerabilis eo genere cultus: nam licet ego meritò, & prudenter possim me submittere Regi; non tamen possum prudenter me submittere dignitati Regiæ, quæ cum non sit natura intellectualis, non est excellentior, sed inferior me; & ideo licet reddat Regem venerabilem, & dignum cui ego me summittam, ipsa tamen non est, *ut quod*, sed solum *ut quo* venerabilis illo genere venerationis.

57. Similiter ergo peccatum præteritum potest constituit partialiter honestatem, & bonitatem, quæ redditur amabile, & volubile tormentum præsens propter bonitatem punitionis; licet ipsum peccatum præteritum non sit amabile eodem genere affectus, quia illam amabilitatem habet solum partialiter *ut quo*, non *ut quod*: fateor, affectum illum terminari ad tormentum, quia bonum est, & ad eius bonitatem, & hanc etiam aliquo modo amari, quia non potest amari bonum *ut bonum*, quin ametur eius bonitas, *ut supra* probatum est: non tamen amator peccatum præteritum, sicut amator tormentum præsens propter bonitatem ipsi provenientem partialiter à peccato præterito. Nam tormentum præsens amator simpliciter, & absolute per affectum absolutum quo Deus absolute vult porere illud tormentum propter bonitatem punitionis: ipsam tamen bonitatem punitionis non amat Deus secundum omnes eius partes affectu absolute, sed affectu simplici & complacentia, seu velleitate quasi conditionata. Itaque prius quam fiat peccatū, obijcitur Deo bonitas punitionis iustæ, & placet Deo illa bonitas; non tamen potest Deus illam absolute velle, vel intendere propter inconuenientia, quæ secum affert, sed solum potest habere simplicem complacentiam, & affectum circa illam, quæ explicatur per voluntatem quandam conditionatam, quasi dicat voluntas: vellem hoc compositum, & hoc bonum iustæ punitionis, nisi afferret inconuenientia. Similiter postquam factum est peccatum, videt Deus ex illo sequi bonum iustæ punitionis: non tamen potest ideo gaudere simpliciter, & absolute de peccato præterito, sed solum per simplicem complacentiam, & affectum: propterea de facto Ecclesia gaudet non absolute, sed affectu simplici de peccato Adæ propter bonum Redemptionis per Christum inde sequutum, quem affectum explicat illis verbis: *O certe necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte delendum erat: O felix culpa, quæ talem, ac tantum habuit Redemptorem*. Vult ergo Deus absolute tormentum peccatoris propter bonitatem iustæ punitionis; quam non vult absolute quoad omnes eius partes, sed amat affectu simplici, quia illa bonitas propter inconuenientia intrinseca, quæ includit, non est capax terminandi affectum absolutum, sed solum conditionatum, quo vellet illud concretum quod omnes eius partes, si non afferret inconuenientia propria peccati.

38. Eodem ergo modo in nostro casu dicendum est, peccatorem velle posse bonum compensationis post peccatum, per quem affectum vult quidem absolute obsequia Deo exhibenda propter bonitatem specialem compensationis: quam quidem bonitatem amat etiam peccator, sed non absolute quoad omnes eius partes, sed affectu simplici. Placet enim ex se pulchritudo quæ apparet in compensatione pro peccato, & offensa: sed sicut ante peccatum non possumus illud bonum absolute velle, & desiderare propter inconuenientia, quæ habet; sic nec post peccatum possumus habere affectum efficacem & absolutum circa omnes partes illius pulchritudinis, sed solum affectum simplicem circa peccatum præteritum, *ut par-*

tem illius bonitatis, & hoc sufficit, *ut* propter illam bonitatem, quam amamus eo modo, quo possumus, amemus absolute alteram partem, quæ solum deest, *ut* resulet totum illud compositum, cuius bonitatem amamus.

Dices, nemo potest eligere efficaciter medium, quando finem ipsum non vult efficaciter, sed affectu simplici: ergo nec potest amare efficaciter obiectum bonum propter bonitatem, quam non amat efficaciter, sed solum simplici complacentia. Respondeo retorquendo argumentum: quia imò aliquando eligimus medium absolute ad finem, quem solum volumus sub conditione: verbi gratia, qui vult habere secum medicum, & medicinam, *ut* si in morbum incidit, recuperet sanitatem, vult absolute medium & tamen finem, hoc est, recuperationem sanitatis, vult solum sub conditione; imò medium ipsum potest absolute eligi, licet eius utilitas non ametur absolute, sed conditionate; *ut* si quis dubius de utilitate herbarum ad curationem, velit eam emere, *ut* si comperit postea esse vtilem, possit eam sibi applicare. Similiter potest amare aliquid absolute propter bonitatem, quam amat sub conditione, volendo absolute ieiunare, *ut* si forte peccauerit antea, sit compensatio aliqua pro offensa: bonitas enim etiam conditionate propofita reddit aliquando obiectum absolute amabile. Sic ergo poterit, qui scit, se peccasse, velle absolute ieiunare, *ut* supposito peccato, (quam suppositionem non vult absolute) resulet bonum compensationis: hic enim affectus semper est quasi conditionatus respectu peccati: nam sicut ante peccatum possum dicere, volo ieiunare, & orare, *ut* si postea peccare. Deus det mihi spiritum compensationis: sic & post peccatum dico, volo ieiunare, *ut* supposito, quod peccavi, detur bonum compensationis; per quem actum volo absolute ieiunium propter bonum, quod non volo absolute, sed ex suppositione, & quasi sub conditione alterius partis iam positæ.

Dicit aliquis; ex hac doctrina sequi per argumentum a contrario, quod quando Deus odio habet peccatum hominis, debeat etiam habere affectum odij non solum aduersus actum voluntatis, quo homo, verbi gratia, vult cibum, sed etiam aduersus notitiam, quam homo habet de præcepto: actus enim voluntatis secundum se non esset peccatum, si non præcederet notitia prohibitionis, à qua notitia completur in ratione mali, & peccaminosi: Deus autem odio habet actum voluntatis, quia malum est, ergo habet affectum aliquem odij aduersus notitiam prohibitionis, quæ est pars malitiæ totalis: Consequens autem videtur falsum: nam notitia illa secundum se est vndeque bona, & amabilis: ergo similiter poterit Deus velle tormentum ad puniendum peccatorem, absque eo, quod habeat affectum amoris vilius erga peccatum præteritum.

Respondeo negando sequelam, quidquid enim sit de veritate, vel falsitate consequentis; non arguitur bene ab amore obiecti complexi ad odium. Ratio autem differentie est clara: quia amor complexi debet esse amor omnium partium: qui enim vult, quod existat totum, vult, quod existant omnes eius partes, à quibus non distinguitur realiter totum. At vero, qui odio habet totum non oportet, quod odio habeat vnam; nam vna deficiente, non existet totum. Quando ergo odio habeo aliquod complexum propter malitiam provenientem à complexo, *ut* complexum est; non oportet, quod odium terminetur ad singulas partes; verbi gratia, si nollem simul habere duo officia propter nimiam occupationem, quam afferunt odium non terminatur ad singula, nisi sub conditione alterius

An gaudeat
Ecclesia de
peccato Adæ,
propter bonū
Redemptionis
inde secuti.

Offic. Eccl.

alterius: est enim affectus, quo vellem non habere hoc officium, si habeo illud, vel è contra: neutrum tamen secundum se responso, sed sub conditione alterius. Sic Deo displicet complexum ex voluntate cibi, & notitia prohibitionis propter malitiam complexi, quam aliquo odio prosequitur, quo vellet non esse actum voluntatis, si est notitia prohibitionis, vel hanc non esse, si voluntas cibi, ne resulter illud complexum turpitudinis. De hoc tamen in tractatu de actibus humanis.

SECTIO IV.

Obiectum formale virtutis Pœnitentiæ non esse bonum compensationis sed aliquid aliud: ubi, an sit virtus Theologica?

VNum supponimus, & duo probanda sunt. Supponimus, dari specialem virtutem pœnitentiæ ab aliis distinctam. Probandum est, Primum, eius obiectum formale non esse bonitatem compensationis, quam sectione præcedenti diximus posse ex se terminare voluntatem honestam. Secundò; dari aliud motuum formale directum, quod ab hac virtute speciali respici possit.

Circa primum, aliqui probant necessitatem virtutis specialis pœnitentiæ ex eo, quod datur speciale peccatū impœnitentiæ; ergo datur specialis etiā virtus pœnitentiæ, cui peccatū illud aduersetur. Hoc tamē argumentum non est efficax: nam dicitur facile, aliquis impœnitentiā non aduersari vni soli virtuti, sed multis: qui enim non dolet de peccato, peccat contra charitatē Dei, quæ obligat ad tollendā debitū tempore impedimentā amicitie: peccat contra Religionē, quæ ex debito reuerentiæ obligat ad placandum Deum: peccat contra studium debitum propriæ salutis, cui opponitur status damnationis; peccat cōtra alias virtutes, quarum honestati opponitur impœnitentiā, quæ complectitur has omnes malitias. Restat, ergo, vt specialis virtus pœnitentiæ ab aliis diuersa probetur assignando speciale motuum honestum directum à motibus aliarum virtutum, quod postea ostendendum à nobis est.

Nunc itaque in primis probemus, bonum illud compensationis non esse motuum formale virtutis pœnitentiæ: non quia obiectum illud honestū non sit, & potens terminare formaliter aliquam virtutem; sed quia illa virtus, quæcumque esset, non videtur habere, quæ de virtute pœnitentiæ communiter dici solent: quod quidem duplici potissimum argumento probari potest. Primum, quia pœnitentiæ virtus, vt dixi Sectione præcedenti, potissimum est ad dolendum de peccatis commissis, vt ex Patribus, & Theologis ibi ostendi: virtus autem, quæ solum respiceret formaliter bonum compensationis, non est ad dolendum de peccatis: illud enim bonum non mouet ad dolendum de peccato præterito, cum peccatum præteritum non obstat, imò profit compensatiōi ponendæ, nam sine peccato non posset esse compensatio.

Secundum argumentum contra illam sententiam esse potest, quia quodcumque tandem habeat motuum virtus pœnitentiæ, sed tamen eam habere debet connexionem cum dolore, & odio peccati, vt per se loquendo non possit esse sine illo: quis enim dicat, illum esse verè pœnitentem, qui non dolet, quod Deum offenderit? At iuxta doctrinam illius sententiæ posset hoc fieri: quia virtus pœnitentiæ in eo dicendi modo solum intendit formaliter satisfacere Deo, exhibendo compensationem necessariam pro

P. Ioan. de Lugo de Pœnit.

offensa: non quidem, quia ipsa pœnitentia odio habeat peccatum; sed quia amat bonum compensationis pro peccatis, ergo sicut gratitudo per se loquendo non affert odium beneficii accepti; ita virtus pœnitentiæ per se loquendo non affert odium peccati, sed solum amorem compensationis: stat enim bene, me velle omnino satisfacere pro debito, & tamen non dolore de debito illo contracto: sic quippe ille, qui emit librum vult satisfacere pro libro, & non dolet, quod contraxerit illud debitum.

Dices, in pœnitentiā id omnino repugnare, quia medium maximè necessarium ad compensationem pro peccato est ipsum odium peccati; quare non potest pœnitentia velle efficaciter compensationem, quin velit etiam efficaciter dolorem, qui est potissima compensatio pro peccatis: non ergo est sicut gratitudo; quæ licet velit compensare beneficia, non tamen vult odium beneficii, quia illud odium nullo modo est materia compensationis pro beneficiis, sicut odium peccati, imò è contra amor beneficii est quasi quadam compensatio pro ipso beneficio, vt dixit Seneca lib. 2. de benef.

Sed contra, quia licet nunc de facto res ita se habeat, vt dolor sit compensatio pro peccato, quia Deus ita vult satisfieri à peccatore per actum doloris; potuit tamen Deus eam satisfactionem non exigere, sed aliam potuit, v.g. exigere quod peccator daret vniuersam suam substantiam pro peccato, vel ingrederetur Religionē; quā cōditione posita, Deus condonaret peccatum, sicut modo condonat illud posito dolore; tunc ergo virtus pœnitentiæ non inclinatur necessario ad habendū actum doloris, sed ad dandam substantiam, vel ad ingressum Religionis, quæ tunc esset materia compensationis, & medium vnicum ad illam: ergo tunc posset esse perfectus, & absolutus actus pœnitentiæ sine actū doloris, & odij peccatorum. Patet consequentia, quia ex amore finis non infertur necessario nisi electio medij necessarij: sed ad compensationem, seu satisfactionem, tunc non esset medium necessarium odium peccati, sed ingressus Religionis, ergo cum actū absoluto pœnitentiæ non haberet connexionem necessariam per se loquendo odium peccati.

Confirmatur, & explicatur difficultas, quia nunc de facto licet pœnitentia velit absolute satisfacere Deo pro peccato, non debet necessario velle actum contritionis perfectæ, quia de facto non est necessaria contritio ad hunc effectum, sed sufficit attritio cum Sacramento, quam Deus vult de facto esse sufficientem satisfactionem: ergo si Deus neque hanc exigeret, sed solum actum elemosynæ, vel ieiunij; non magis requireretur tunc odium peccati ad satisfaciendum Deo, quam nunc requiratur contritio, imò multo minus quia nunc requiratur contritio saltem extra sacramentum. Probatur consequentia, quia ex natura rei, sicut elemosyna non est sufficiens satisfactio: ita nec attritio, vel contritio, sed solum ex diuina liberalitate acceptante illam pro satisfactione sufficienti: ergo neque etiam dolor requireretur, si Deus acceptaret aliam satisfactionem: ergo nunc de facto solum habet pœnitentia connexionem cū dolore de peccatis per accidens, quatenus nunc de facto Deus exigit dolorem pro satisfactione: per se tamen bene posset esse perfectæ, & absoluta pœnitentia sine dolore, & odio peccatorum, imò fortasse cum eorum complacentia. Quis credat illam esse virtutem Pœnitentiæ? Imò ex hoc consequenter fit, posse aliquem nunc de facto habere actum perfectum, & absolutum pœnitentiæ sine odio peccati: Pone enim aliquem ex errore, vel ignorantia inuincibili ignorare, exigit à Deo dolorem pro compensatione, sicut de facto ignorat multi rustici, qui celsent

B 2 suffice

sufficere confessionem externam ad remissionem peccati sine alio dolore sanè ille rusticus potest absolute velle compensare Deo pro debito peccati, & dare satisfactionem, quam ipse cogitat peti à Deo pro illo debito sine eo, quod habeat dolorem; ergo habet perfectum actum pœnitentiæ, qui per se solum est voluntas absoluta satisfaciendi; & cōpensandi pro peccatis; ergo debes admittere, aliquos de facto accedere ad confessionem cum vera pœnitentia interna peccatorum, qui tamen non sunt sufficienter dispositi, quod sanè videtur satis absurdū, & contra modum loquendi sanctorum Patrum, apud quos nunquam vera pœnitentia sine dolore invenitur, nec verè pœnitens frustratur à venia peccatorum.

48.

Restat iam tertium punctum: scilicet, assignare aliud motiū speciale; quod respiciatur à speciali virtute pœnitentiæ. Et quidem hæc quæstio aliquid habet de re, & aliquid de nomine. De re est an detur virtus diuersa ab aliis, quæ communiter circumferuntur, quæ peccata sub aliqua ratione communi possit detestari. De nomine verò est, an hæc virtus debeat pœnitentiæ nomine appellari. Nam qui diceret, charitatem, quatenus ex Dei amore peccata detestatur, esse pœnitentiam, difficile impugnaretur itē qui hoc diceret de spe, quatenus ex affectu beatitudinis; vel de Religione, quatenus ex cultu Dei, vel de quibusdam aliis virtutibus, quæ ex proprio motivo, omnia peccata possunt detestari. Cum tamen iam vsus obtinuerit, vt hoc Pœnitentia nomine aliqua peculiaris virtus intelligatur, meritò inquirimus quæ sit, & quale habeat motiū.

49.
Obiectum
formale Pœ-
nitentiæ est
æqualitas
moralis cum
Deo.

Existimo ergo, dari aliquam specialem virtutem ab aliis omnibus diuersam, cuius formale obiectum sit æqualitas moralis cum Deo; non dico, æqualitas, quæ sit per iustitiam strictè sumptam, sed æqualitas alia moralis, quæ explicatur per hoc, quod est, non habere Deum rationabiliter auersum, & indignatum, seu non dare Deo fundamentum rationabiliter se auertendi ab homine; quod incomplexè, & communiter dicitur offendere Deum; hæc virtus inducit vitare hanc Dei offensionem, & conseruare illam æqualitatem moralem: quod si posita fuerit offensa, eadem virtus conatur illam tollere, & reducere priorem æqualitatem & pacem cum Deo.

50.
Differt ab
obiecto
iustitiæ.

Differt autem multum hæc virtus à virtute iustitiæ etiam inter homines: aliud enim est offendere aliquem, aliud verò inferre iniuriam: iniuria quippe est contra ius strictum, & proprium quod alius habet: offensa verò contingit sæpe sine iniuria, verbi gratia, si amicus à me petat librum commodatum quo ipse valde indiget, & quem ego sine incommodo possum commodare, & tamen nolo id facere; proculdubio offendo amicum, & do sufficiens fundamentum, vt rationabiliter auertatur à me, licet re vera nullam irrogem ei iniuriam contra iustitiam, alioquin tenerer ad restitutionem. Item si ab amico foratèr librum, vel vestem, non solum facerem iniuriam, sed offensam distinctam: iniuria enim omnino cessaret restituito postea libro, vel veste: adhuc tamē maneret in æstimatione prudentium sufficiens fundamentum, vt ille maneret auersus, donec illi etiam pro offensa satisfacerem. Ad tollendam ergo, vel vitandam iniuriam obligat iustitia: ad tollendā verò, vel vitandam offensam inclinatur alia virtus etiam inter homines, quæ prohibet dare alicui sufficientem, & rationabilem causam indignationis & auersionis etiam sine iniuria, & inclinatur ad tollendam etiam illam, quando posita est, exhibendo satisfactionem sufficientem per obsequia, per veniæ petitionem, & alia similia pro quantitate offensa, eā enim satisfactione posita, offensa extinguitur; nam si offensus durus esset in acceptanda satisfactione; prudentes

tamen iam non censuerunt, ipsam materē rationabiliter auersum, sed omnino irrationabiliter. Hanc Virtutem dari inter homines, certum est experientia, & ratione naturalis: est enim honestū, & laudabile neminem habere offensum, nec rationabiliter auersum: quod communiter dicimus habere pacem cum omnibus: quare illa virtus, licet minus propriè, posset appellari pax dico, minus propriè, quia non est illa pax, de qua agit S. Thom. 2. 2. quæst. 119. quæ est effectus charitatis; sed pax quædam tollens querelas, & offensiones rationabiles aliorum.

Hoc supposito dicimus dari aliam virtutem similem homini ad Deum, quæ inclinatur ad habendam pacem cum Deo, seu ad vitandam offensam Dei, & ad tollendam illam modis omnibus, quando posita est, cuius obiectum formale est bonitas pacis cum Deo, seu non habere Deum auersum, & indignatum: cum autem Deus omnibus peccatis offendatur: omnia illa odio habet hæc virtus, sub ea ratione formali, quia offensa Dei sunt; & omnia illa conatur tollere, vt iterum habeat Deum pacatum, & placatum, & ideo dicitur virtus reconciliatiua, quia tendit ad hoc, vt Deum auersum nobis reconciliet. Et quidem de re ipsa non potest esse dubium, quin possit esse virtus, quæ habeat hoc motiū ad Deum honestum. Quod verò ipsa sit pœnitentia, probatur ex eo, quod hæc virtus distinguatur à reliquis omnibus, & habeat omnia quæ de virtute pœnitentiæ circumferuntur. Probatur etiam ex modo loquendi Theologorum, qui de pœnitentia loquuntur. Nam S. Thomas de hac virtute videtur expressè loqui in præsentis artic. 3. in corpore: vbi probat, pœnitentiam esse specialem virtutem, quia tendit ad destructionem peccati: in quantum est Dei offensa, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis, non dixit, habere odio peccatum in quantum est Dei iniuria: hoc enim pertinet ad iustitiam, neque in quantum est Dei irreuerentia, hoc enim pertinet ad Religionem, &c. sed in quantum est Dei offensa; quod diximus esse proprium motiū huius virtutis: Clariùs adhuc idē S. Thomas hoc expressit in 4. d. 14. q. 1. art. 1. quæst. 1. ad ultimum: vbi probat idem intentum his verbis: Sicut enim est alicuius virtutis, vt homo placeat eum quem peccando offendit, ita etiam est alicuius virtutis, vt homo Deum placeat, quem peccando offendit: non potuit clariùs nostram sententiam explicare: hæc enim est nostra conclusio, & eius probatio, vt vidimus. Quæ sumitur etiam ex modo loquendi ipsius Ecclesiæ, quæ hoc peculiare munus videtur pœnitentiæ tribuere, cum dicit: Deus, qui culpā offenderis pœnitentia placaris. Ecce virtutem coniunxit: malum scilicet culpæ quod pœnitentia formaliter detestatur, nempe offendere Deum, & bonum, quod pœnitentia intendit, nempe placare Deum. Hoc etiam modo loquitur expressè Valentia in præsentis disp. 7. quæst. 1. punct. 1. vbi ex eo probat specialitatem Pœnitentiæ quia nimirum ex peccato Deus manet in sensus peccatori, & necesse est illum placari aliqua virtute, quæ detestetur peccatum in quantum fuit offensa Dei irati, & placandi, quod motiū dicit nulli alteri virtuti conuenire.

Dices, hoc videri proprium motiū charitatis, quia detestari peccatum, vt præcisè offendit Deum, etiam est detestari peccatum, vt aduersatur Deo, quod est proprium charitatis. Sed contra, quia aliud longe diuersum est detestari peccatum, quia aduersatur Deo: seu quia est malum Dei saltem extrinsecè, & quia displicet Deo, quod pertinet ad charitatem: aliud verò detestari peccatum, quia offendit Deum, seu quia irritat Deum, & auertit eum ab homine, quod pertinet ad istam aliam virtutem Pœnitentiæ quam ponimus. Nam etiam inter homines distinguuntur hæc

hæc duo, & possum ego nolle offendere alium, ne
com rationabiliter reddam mihi aversum, licet
alioquin nullam habeam, nec habere expectam cum
ipso amicitiam, amicitia enim tendit ad vitandum
malum illius quia malum illius est: at verò hæc alia
virtus tendit formaliter ad vitandam offensam, non
quia malum illius est, sed potius quia malum, & in-
honestum mihi est habere alium rationabiliter mi-
hi aversum.

Dices, penitentia tendit ad reconciliationem
cum Deo, ergo per penitentiam expectimus forma-
liter Dei amicitiam. Respondeo, penitentiam forma-
liter tendere ad reconciliationem cum Deo, qua-
tenus expectat Deum habere placatum, non ita ut
formaliter expectat habere Deum amicum. Aliud
enim est habere Deum placatum, hoc est, non aver-
sum, non iratum, non offensum; aliud habere Deum
amicum, hoc est, positivè benevolum & gratum. Il-
lud primum solum expectat formaliter penitentia;
licet de facto nunquam reperitur illud primum si-
ne hoc secundo. Sed tamen sicut etiam inter homi-
nes datur status medius inter amicitiam, & inimici-
tiam: ita penitentia potest intendere formaliter
hoc, quod est, non habere Deum inimicum, & tolle-
re omnes occasiones offensionis, & dissidii, sine eo
quod intendat positivè eius amicitiam.

Petes, siquidem concessimus supra, posse aliquem
actum honestum, & virtuosum terminari formaliter,
ut ad motuum proprium, ad bonum compensationis
pro offensa, sistendo in illo: an de facto actus
penitentiae tendat etiam formaliter ad hoc mo-
tuum, an verò deat alia virtus infusa diversa, qua
de facto velimus formaliter illud bonum compen-
sationis? Nam de facto in obiecto penitentiae repe-
ritur utrumque bonum, scilicet, æqualitatis, & pacis
cum Deo; & bonum etiam compensationis pro of-
fensa: utrumque ergo amatur à peccatore peniten-
te, & utrumque intenditur.

Respondeo, idem peti posse de virtute iustitiæ: di-
ximus enim in restitutione pro damno iniuste illato
reperiri duplex illud bonum, scilicet, procurandi de-
bitam æqualitatem cum iure alieno, quam intendit
formaliter iustitia; & rursum bonum compensatio-
nis, ut ille, qui malum passus est à me, habeat etiam
à me aliquod bonum: quod quidem non intendit
iustitia, nam potest hoc intendi etiam ut necessa-
rium ad illum finem cessante etiam obligatione ius-
titiæ per omnimodam condonationem creditoris,
ut supra diximus.

Restat ergo de illo etiam motivo honesto inqui-
rendum, an pertineat ad illam virtutem infusam, &
an de facto intendatur à debitore solvete suum de-
bitum: Et quidem facile cõcedi potest virtus aliqua
etiam infusa, quæ respiciat honestatem compensatio-
nis, sive in debitis contractis ex iustitia, sive in offe-
sis, & intendat, quod habeat à me bona, qui passus est
malum: de facto tamen, quando debitor solvit debi-
tum iustitiæ, plerumque non attendit ad illud aliud
motivum, sed ad motivum iustitiæ, si tamen voluerit
etiam ex illo motivo compensationis operari, nihil
prohibet, quod illa etiam alia virtus concurret. Si-
militer quando penitens dolet de peccatis, non
semper vitat omnibus motibus, quæ possunt moue-
re ad odium peccati; sed aliquando dolet ex motivo
charitatis; aliquando ex desiderio beatitudinis, &
timore gehennæ; aliquando ex Religione: aliquan-
do ex odio inæqualitatis, & aversionis Dei, quod di-
ximus esse proprium motivum Penitentiae: aliquan-
do poterit etiam moveri ex bono compensationis,
non quidem ad eliciendum dolorem, quia illud
non est motivum ad odium peccati, ut supra dixi-
mus; sed ad imperandum actum aliquem doloris ex

P. Inn. de Lugo, de Penitentia

alio motivo ex prædictis, per quem actum possit ali-
quo modo cõpensare pro peccatis: & tunc concur-
ret illa virtus specialis, quæ habet pro motivo bo-
num compensationis.

Hinc infero primo, immeritò dixisse P. Valquez
in præfati art. 2. num. 38 & sequentibus, odium pec-
cati pro ut offensa Dei est, non posse esse actum al-
terius virtutis, quàm charitatis. Vidimus enim po-
tius non posse sub illa formalitate pertinere ad cha-
ritatem, sed ad aliam virtutem, cui displicet offensa
Dei, non quod Dei malum sit, sed quod reddat Deū
homini offensum.

Infero secundò, quomodo differat Penitentia à
virtute Religionis: nam si Religio strictè sumatur
pro virtute, quæ solum tendit ad colendum Deum
propter ipsius excellentiam; differt omnino à virtu-
te penitentiae, cuius motivum non est colere Deū
utrumque propter suam excellentiam, sed vitare
ipsius offensam propter bonum pacis cum Deo. Si
verò sumatur religio largius, potest dici penitentia
pertinere partialiter ad Religionem: quia sicut di-
cuntur etiam partes potestati iustitiæ illæ omnes
virtutes, quæ respiciunt debitum, & sunt ad alterum
sic etiam omnes virtutes quæ respiciunt debitum
aliquod omnis erga Deum, possunt dici partes po-
testati religionis, non tamen strictè, & rigorosè.

Dices: Actus penitentiae sunt partes sacramenti
penitentiae, ergo pertinent propriè ad Religionem:
nam peccata, quæ sunt in susceptione, vel collatione
sacramentorum opponuntur religioni, & pertinent
ad sacrilegium. Respondeo, actus penitentiae per-
tinere eo titulo ad religionem extrinsecè, vel impera-
tivè; non intrinsecè, & elicitive: sicut ieiunium est
elicitivè actus temperantiæ, sed extrinsecè impera-
tur ab obedientia & eius violatio est inobedientia:
sic etiam religio imperat susceptionem poram sa-
cramentorum, ut medium ad collendum Deum; ipsæ
tamen partes, quibus constant sacramenta, possunt
in se intrinsecè esse actus charitatis, vel aliarum vir-
tutum, qui potuerunt à Deo assumi ut pars alicuius
sacramenti: nam de facto actus charitatis, quo im-
plicitè, vel explicitè odio habeatur peccatum, pote-
rit esse materia sacramenti penitentiae, licet ille
actus in omnium sententia non oriatur à religione
elicitivè, sed à charitate.

Infero tertio, virtutem penitentiae non esse
Theologicam, sed morale. Ratio breviter est, quia
virtus Theologica est quæ habet pro obiecto for-
mali aliquid divinum, vel, saltem pro obiecto quod
iuxta varias diversorum sententias, de quibus post
alios Suarez lib. 3. de religione, c. 3. penitentia autem
neutrum habet: non primum, quia obiectum formale
ipsius non est Deus, sed bonum pacis hominis cum
Deo, & malum offensa divina, iterum non habet Deū
ut obiectum, quod, quia penitentia non vult Deum, sed
pacem cum Deo, nullo ergo ex capite est Theologica.

Dices: habet Deum saltem ut obiectum cui; nam
vult satisfacere Deo, ergo ex hoc capite erit Theo-
logica; sicut charitas est Theologica etiam in iis
actibus, quibus vult Deo bona extrinsecè, quia habet
Deum pro obiecto cui. Respondeo, negando conce-
quentiam, differt enim charitas à penitentia quod
charitas ita habet Deum pro obiecto cui, ut habeat
ipsū pro motivo formali; vult enim Deo bona, quia
bona Deo sunt, quæ formaliter amat per illum actū:
at verò penitentia vult satisfacere Deo, non quia
bona Deo sit satisfactio, tanquam propter motivum
ultimum, sed quia satisfacere Deo est bonum, & ho-
nestum ipsi satisfaciendi; itaque satisfaciens se ipsum
habet pro obiecto cui formali, & ultimo, non Deū:
ille enim actus non amat Deum, sed satisfacere Deo,
quod totum est aliquid creatum, sicut obedientia

B 3 vult

56

57
Differt à Reli-
gione.

58

59
Nō est virtus
Theologica.

60

vult obedire Deo, & religio colere Deum, & tamen non sunt Theologicæ propter eandem rationem.

61.

Dices iterum: pœnitentia intendit placare Deum: sed placatio Dei est aliquid increatum; est enim actus diuinæ voluntatis acceptantis obsequia nostra vel condonantis offensas, & deponentis indignationem. ergo pœnitentia est virtus Theologica, cum feratur ad aliquod obiectum increatum, & diuinum. Dicunt aliqui: pœnitentiam non intendere placationem Dei in actu secundo, quæ est aliquid diuinum, sed placationem in actu primo, hoc est, exhibere opera, & obsequia apta de se ad placandum Deum, & quæ possint placare Deum. Sed contra hoc videtur esse, quia etiam si considerentur illa obsequia antecedenter ad placationem actualem, & pro ut solum possunt placare; videntur iam includere, si non placationem, seu actum voluntatis, saltem cognitionem, & scientiam Dei: non enim sunt apta illa obsequia ad placandum Deum, nisi pro ut exhibita Deo, seu nota Deo: vult ergo pœnitentia exhibere Deo, seu quod Deus videat in homine opera, & obsequia, quibus possit placari: non est autem minus increatus actus scientiæ, quam actus voluntatis Dei; ergo semper manet in obiecto pœnitentiæ aliquid increatum, ratione cuius dici possit virtus Theologica.

62.

Facilius, & magis vniuersaliter respondetur: dato quod pœnitentia velit placare Deum, seu quod Deus remittat vel deponat indignationem, quam ob offensam conceperat: id tamen totum non esse obiectum formale, & motivum pœnitentiæ. Hæc enim formaliter solum intendit bonum pacis, seu æqualitatis cum Deo: quod quidem ante peccatum habetur per solam carentiam offensæ; post peccatum verò necessarius est aliquis actus condonationis diuinæ, ut illa pax, & æqualitas recuperetur: ille tamen actus non intenditur formaliter à pœnitentia, sed materialiter, quatenus necessarius ad bonum pacis obtinendum: quæ pax secundum se præscindit à voluntate Dei, cum possit ante peccatum intelligi absque illo actu diuinæ voluntatis. Porro virtutem aliquam esse Theologicam, desumitur ex ordine ad obiectum formale, non ad materiale: ab obiecto enim formali specificatur virtus, atque ideo fides, spes, & charitas sunt Theologicæ, quia habent pro obiecto formali aliquid diuinum; scilicet, veritatem Dei, omnipotentiam, fidelitatem, misericordiam, perfectionem infinitam Dei, &c.

63.

Vigebis: Obiectum formale pœnitentiæ est bonum pacis cum Deo supra explicatum: pax autem est negatio tituli ad iustam, & rationabilem Dei indignationem: carentia verò illius tituli est quod vel homo non peccauerit, vel certe ipse Deus condonauerit: ergo de primo ad vltimum, condonatio Dei includitur in bono pacis, quod pœnitentia formaliter intendit.

Respondetur, non includit pro ut requiritur ad reddendam virtutem Theologicam; includitur enim modo quodam nimis imperfecto: quod ex duplici capite provenit. Primo, quia non includitur determinatè, sed disiunctim: nam bonum pacis cum Deo est, quod vel non sit peccatum, vel sit condigne satisfactum pro illo, vel Deus condonauerit, ut dicemus infra disp. 7. sect. 5. qui autem intendit disiunctivè aliquid creatum, vel increatum; non dicitur simpliciter intendere aliquid creatum: sicut qui vult eleemosynam, vel castitatem non dicitur habere votum Castitatis, nec illud est votum reservatum, ut tradunt communiter Doctores: virtus autem Theologica debet simpliciter intendere, vel respicere ut motivum aliquid increatum. Secundo deficit: quia licet condonatio Dei sit aliquid increatum: à pœnitentia tamen non respicitur propter suam perfectionem in-

finitam, & diuinam; sed solum ut impedit titulum indignationis Dei; quod quidem, si poni posset per condonationem Dei, quæ esset aliquid extrinsecum Deo, & creatum, pœnitentia parum curaret: non ergo respicitur illa increata, & infinita perfectio condonationis formaliter à pœnitentia: pro ut deberet respici, ad hoc ut esset virtus formaliter Theologica, ad hoc enim deberet respici formaliter ut infinita, & increata perfectio est.

Dices: Pœnitentia vult formaliter pacem cum Deo; respicit ergo Deum ex parte obiecti; non est autem Deus obiectum materiale, non enim vult Deum propter pacem: ergo Deus habet se ex parte obiecti formalis, atque ideo erit virtus Theologica. Respondetur, pœnitentiam respicere Deum; non ut obiectum volitum formale, vel materiale; sed ut terminum pacis, quæ est obiectum formale. Neque enim omne, quod respicitur ab actu amoris, est obiectum volitum, vel amatum. Nam qui vult librum Petri, respicit quidem Petrum per illum actum, non tamen vult, aut amat Petrum sed illum respicit ut terminum, seu Dominum libri quem vult: sic respicitur Deus ab actu pœnitentiæ qui respicitur ad Deum non sufficit ad virtutem Theologicam.

Infero quartò, licet pœnitentia sit simpliciter necessaria ad salutem homini adulto in peccatum mortale lapsò; quod quidem de actu magis, quam de habitu intelligitur: hoc tamen non debere intelligi de actibus huius virtutis specialis pœnitentiæ, cuius obiectum formale explicuimus: sufficit enim, & melius est ad salutem, si aliquis ex motivo charitatis doleat de peccatis: sufficit etiam cum sacramento, si ex motivo religionis, vel obedientiæ, aut ex timore gehennæ, vel desiderio beatitudinis doleat per attritionem debitam, licet non doleat ex illo motivo speciali virtutis pœnitentiæ. Est ergo ad salutem necessaria pœnitentia communiter sumpta, pro ut comprehendit quemcumque actum doloris efficacis ex motivo sufficienti ad contritionem, vel attritionem, non verò pœnitentia strictè, pro ut significat hanc specialem virtutem, de qua nunc loquimur.

Denique, an pœnitentia possit habere actum non solum circa malum, sed etiam circa bonum, & alia, quæ hic desiderantur, dicemus inferius disp. 4. de actibus pœnitentiæ.

DISPUTATIO III.

De obiecto materiali virtutis Pœnitentiæ.

SECTIO I. De obiecto materiali fuga; ubi de peccato actuali, habituali, originali, & dimisso, imperfectiōibus, & actu materialiter malo, an sit obiectum Pœnitentiæ.

SECTIO II. De peccatis alienis, & de reatu pauperum, an sit obiectum pœnitentiæ.

De obiecto materiali prosecutionis virtutis pœnitentiæ.



PLEX esse potest obiectum materiale pœnitentiæ. Primum possumus appellare obiectum prosecutionis; id est, quod pœnitentia eligit ut medium ad consequendum finem, quem formaliter intendit, quod est bonum pacis cum Deo: talia sunt opera satisfactoria, oratio, lacrymæ, &c. Secundum est obiectum, quod pos-